

DISSERTATIO
DE
*PRINCIPIO OBSEQUII LEGIBUS ET
IMPERANTI SUMMO A CIVE
PRÆSTANDI;*

QUAM
CONS. AMPL. FAC. PHIL. ABOËNS.
SUB PRÆSIDIO
Mag. ANDR. JOHANNIS LAGI,
Philos. Pract. Prof. Ord.
PRO LAUREA
publico examini subjicit
ERICUS GUSTAVUS ENEBERG,
Borealis.

In Auditorio Medico die XIV Junii MDCCCXV.

h. a. m. f.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

13.

DISSERTATIO

DE

PRINCIPIO ORSEQUII LEGIBUS ET
IMPERANTI SUMMO A CIVE

PRESTANDI;

QUAM

CONS. AMT. FAC. PHIL. ARORENS.

SUB PRÆSIDIO

MAG. ANDR. JOHANNIS LAGI,

PHIL. PAB. PROF. OR.

PRO LACRIS

ERICUS GUSTAVUS ENBERG,

In Auditorio Medico die XIV. Junii MDCCCXV.

ABON, TITUS FRICKELIANUS.



Das sicherste Mittel gegen Despotism und Tyranny ist durchgängige und freywillige Erfüllung der Pflichten, die Unterthanen ihrem rechtmässigen Oberhaupte schuldig sind; so wie das sicherste Mittel gegen Rebellion und Revolution durchgängige und freywillige Erfüllung der Pflichten ist, welche Regenten in Beziehung ihrer Unterthanen zukommen.

KANT.

Ut bene nobis sit mortalibus, ut propensionibus nostris extensive, intensive, protensive, satisfiat, optamus, cupimus, non moniti efficere conamur omnes: in felicitatem imminemus, beatitudinem versus natura ferimur cuncti.

Quæri vero poterit, an hæc ultima sit mortalibus meta? Sicco jam præterimus pede, quod, in physico licet omnis cernatur, tamen non, quam ab instinctibus suis abstraxerit homo, sit notio beatitudinis, sed in idea versetur, quam ope phantasiæ sensuumque libere produxerit ratio, cui ergo nulla unquam respondere possit experientia: quod tot in unoquoque obnoxia sit mutationibus, & elementis apud varios adeo variis componatur, ut cum eadem non congruere possit natura vel arbitrio nostro prorsus subjecta, eoque minus, quia novis optatis nulli successus occludant locum: & denique quod ratio,

A

VO.

voluntatem sæpe determinans contra propensionem subjecti, molestissimo quamplurimum sit status in futurum felicitis (quem nec a priori & in antecessum determinare valet) impedimento. Monemus tantummodo, nullum excogitari posse punctum, in quo omnium congruere queant hominum studia, perpetuum, quod nos consociet, amoris vinculum jurisque mutui nullum mente informari, si ultimum nobis proponamus finem felicitatem nostram. Est namque illa finis natura, ut, posito eodem, ponendorum, quæ ad illum attingendum conferant, mediolorum oriatur necessitas. Cui ergo, nisi stultus fuerit, oriri poterit in agendo scrupulus, si cum honesto jucundum, cum inhonesto injucundum confundatur. Quæ alii jure possint, vel possidere queant, dummodo fruatur, parum curabit.

Neque oriri poterit, neque orta conservari societas civilis, nec sanctis reverentia haberi legibus, neque infucata imperantibus præstari obedientia, ubi principium rationis practicum summum constituatur versus felicitatem, vel perfectionem, vel aliud quidpiam, quod objectum vel materia voluntatis humanæ sit vel esse possit (eodem namque ultimo redeunt omnia principia materialia, atque in principio felicitatis proprie vertuntur) contendere. E tali principio jus omnino erit & fas Principi Civitatis in omnibus obistere, quæ cum felicitate nostra vel perfectione vel alio quodam voluntatis objecto non componi queant. Quæ nempe objecta cum summum efficiant ad quem niti debeamus scopum, a ratione propositum, cui omnia parere debeant & subjuncta esse, qui poteris unquam legum ferre vim molestam, quæ spem finis assequendi tibi intercludant, qui imperantem revereri, cujus Republicæ nomine capta consilia privatis tuis haud raro repugnent, inceptisque remoræ sint & impedimento. Quanto magis tributa & onus quodvis gravius, & migratio quævis cancellorum quibus potestatem dominantis circumscripserit Lex vel naturalis
vel

vel positiva, violatio jurium quævis, pro legitimo prætendi poterunt titulo seditionis, & si hæc non suffecerit, perfecti rebellii ac commutationis reipublicæ, vel everfionis. Neque hac in causa folipfimo, qui fecum ipfo consentiat aqua hæreere potest, quibus rebus utatur, modo prudenter agat, & quæ ad propositum fibi finem attingendum tutiffimo conducere intellexerit fideliter obfervet. Imperantem ergo & reliquos, a quibus aliquid fibi timendum fit renixus, in exilium ejiciet, bonis fpoliabit, vel e medio tollet. Ex ejusmodi itaque theoria morum materiali, quæ in prudentiæ confiliis tota quanta cernitur, quid refat, quod homines legum fub imperio contineat? Nil fane, nifi Magiftratus, qui Civitatis perfonam gerit, phyfica vis maxima, utilis illa quidem, & ne dilabantur cœtus hominum jure lociati, apprime neceffaria, at per fe incerta tamen & ad fanctam Legum magiftratusque fummæ auctoritatem omni tempore locoque muniendam non fufficiens. Quid enim, fi non fatis in imperante fit prudentiæ & calliditatis, ad omnes, quæ ad poteflatem fuam tuendam valeant, dolos, & captiones excogitandos, & ad eosdem ubi opus fuerit adhibendos, quid fi contemnendis generofus uti nolit machinationum fccleribus, quid fi immanem mitis & humanus horreat crudelitatem, ad feditionem, in ipfo ortu fuffocandam, haud raro neceffariam? Ruet certe, & Reipublicæ ordinisque, quo nihil mortalium generi fenfibus obnoxio carius, civilis, poft fe trahet facile ruinam, cujus horrenda vel recentiorum hiftoria temporum miniftrat exempla.

Falfum ex his principiis efle, quod "fic hominis natura generata fit, ut habeat quiddam innatum quali civile & populare" (a) ad bellum omnium contra omnes potius natos mor-

A 2

tales,

a) Cic. *de fin. bon. & mal.* Lib. V. Cap. 23.

tales, pacisque & concordiae, inter homines interdum praesentes, originem & causam esse eandem, quam habuit virtus Sophistarum: ignaviam & timiditatem (b), per se patet. Ab objectis enim & materia si pendet voluntas humana, nil excogitari potest, in quo omnium consentiant proposita; quod jam perspexerunt veteres philosophi morales, qui omnia fere, quae dici de virtute possunt, exhaustere, a jucundo toto caelo diversum quoddam, homini per se appetendum, agnoscentes.

Docet igitur PLATO communem omnibus esse actionum finem, qui unitatem iisdem conciliet, το νομιμον ἢ τον νομον, non extrinsecus ortum, sed in homine ipso, neque vero in facultatibus appetendi & sentiendi nostris, quippe quum sibi invicem repugnent cupiditates sensusque, ac discordiae controuersiarum bellorumque sors inexhaustus, activitati mentis liberae sint impedimento, sensumque omnis veri, honesti, justique & excelsi, ni compescantur, suffocent; sed in ratione sola quae per se homines, ut cum semetipsis & cum naturis ratione praeditis aliis consentiant, libere imperet, atque omnia, quae in homine sint, sibi subjiciat. (c) Est namque illa rationis divina potestas, ut non illis modo, quae ad cognitionem pertineant, ope idearum, versus unitatem tendat & absolutum, verum pariter in illis etiam, facultatem appetendi quae tangant, in absoluto versetur. Mortalem igitur a fortuito varioque & omni quod a semet ipso initium non ceperit principiumque, solutum sistens, mundi supra sensuum vorticem & naturae vicissitudines infinite positi, intelligibilis, aeterni, immutabilis civem,

b) V. PLATONIS *Theætetus* p. 102, 112. *Gorgias* p. 79 sq. p. 98. Ed. Bipont,

c) V. TENNEMANN *Gesch. der Philos.* B. II. p. 481 sqq. (Lpz. 1799) & Ejusdem *Syst. der Platonischen Philosophie* B. IV. p. 25 sqq. (Lpz. 1795) atque locos PLATONIS ab ipso citatos.

civem, liberum esse jubet ratio, quem non deceant leges alienæ, pro temporibus variis variæ, hypotheticæ, sed suæ, sibi semper similes, sed absolutæ: non regulæ subjektivæ, particulares, ab individui commodo vel incommodo æstimandæ; sed universales, a ratione quavis approbandæ. Propensiones, quas natura nobis inseverit, hoc quidem non tolluntur, sed ipsarum esse debet estque revera, rationis ope, semper dominus, neque unquam, nisi sponte sua, servus homo, naturæ ergo vi non actus, sed agi semet ipse permittens: h. e. semet ipsum agens & liber. Neque tamen exlex, sed facultatis, quæ hominem a rebus divulserit, Lege, præfente semper, harmoniam nunquam non poscente, adstrictus, cui congruenter nihil velle potest, nil efficere, libertatis & nativæ dignitatis suæ memor, quam quod tempore locoque quovis velle quisque possit & efficere: h. e. *δικαιοσύνη*, ex sensu, quem huic vocabulo veteres tribuerunt.

Ex his principiis poteritne unquam civis legibus civitatis, lucri damnive vel maximi respectu habito, reluctari: poteritne illi, qui in republica summas tenet, si vel Gygis anulum mercedem contumaciæ ferat, resistere & repugnare? Minime quidem. Quem in finem scilicet sunt cœtus hominum jure sociati, quem in finem leges & jura sancita, quem in finem magistratus instituti?

Misfam facientes phantasiæ ex organismo universi ideam civitatis explicandi conamina, mox observamus, in nihilum redigi omnem de societate civili quæstionem, ubi ejus ultra tempus & spatium finis omnis ponatur, atque negligantur vita nostra physica & exinde ortæ relationes empiricæ, quas regere debet ratio. Non scilicet in meris ratiociniis & meditationibus scrupulosis cernitur scopus mortalium; sed agendum homini esse, effectus quam plurimos in mundo sensibili, ex
norma

norma supra sensus posita, producendos, verbo, officia implenda esse, ratio semper & ubique dicitur.

Quoniam vero imperium rationis hoc exsequi poteris, nisi ope illorum quæ tam intra quam extra te natura ministrat, in quæ & quibus solis agere potes. Hæc itaque officii, quantum in quovis sit, tueri, agendi potestatem salvam præstare, libertatem quam externam dicimus, quod respectu ipsius ab externis pendenus, adferere, juris tui est vel vi extorquendi. Idem vero de omnibus valet, quos ratione natura ornaverit, quorum igitur jura limites in agendo sibi positos agnoscere neminem non jubet eadem, quæ juris sui quemque conscium reddere sola valet facultas.

Imbecillis vero & infirmus homo, qui imminentem sibi multiformem naturæ vim coercere, qui inhiantem sibi, malitiam aliorum compescere, qui tuta sibi præstare vitam & membra, potestatem suam ex arbitrio agendi innoxiam, & ad res aditum, qui cum innocentia congruat: verbo, qui jurium securitatem, sine qua perit omnis facultatum, quibus nos instruxit liberaliter natura, usus, sibi conciliare & conservare solus poterit? Hæc omnia ob ipsam destinationem moralem suam bono cuique carissima, nobis sola parare valet cum aliis conjunctio & societas, qua in unum corpus multitudo ita coalescat, ut mala & pericula quæ singulos minitentur vel tangant, cuncti, quæ cunctos, singuli mutuo auxilio averruncare & propulsare in se suscipiant; sed quæ non oriri potest, nedum consistere, si pro libidine vivere sibi sumat quisque. Idem itaque quod societatibus originem dedit, legum positivarum, quibus libertas externa cujusque ita limitaretur, ut cum libertate omnium consistere posset, ostendit necessitatem.

His vero legibus quid auctoritatem conciliabit: quam ratione poterit is, qui præceptorum *neminem læde, suum cuique*

que tribue immemor, auxilium, quod promiserit, ubi opus eodem fuerit, dare deneget, eo redigi, ut officia erga cives & patriam sua vel invitus colat?

Jam quidem extra omnem dubitationem positum est, quod mortalium nemo malum, quia malum sit, diligere queat; sed malum illam tantummodo ob causam amplecti quemvis, quod boni speciem præbeat, quod fruendi occasione pareat, jucundi aperiat campos, utilis pandat thesauros, & verbo, commoda cultoribus suis conciliet. A malo vel pessimus sine mora abfistat, ubi animadverterit, nil emolumenti sibi exinde proficisci. Fac ergo esse potestatem, quæ offensam in ipsum caput auctoris detorqueat, quæ commodum quodvis physicum, quod ab injusto facinore sibi redundaturum fore speraverit sensuum lenociniis addictus, in majus incommodum semper & ubique vertat; & per ipsam philautiam suffocabuntur effrenatæ in injuriam philautiæ evagationes. In societate ergo justum quo fieri semper possit, necessarium omnino est, certa existat persona physica vel moralis, penes quam sit, media, quæ ad finem societatis promovendum conducant, nomine omnium eligere, libertati omnium in territorio societatis degentium, & contra vim tam externam quam internam securitati, providere, malitiam in facta erumpentem, in noxam & incommodum auctoris sui semper & ubique vertere: cuius malo vel malorum factioni frustra resistenda eadem, ab ipsis quorum nomine agat, in omnibus obedienda: adeoque ut potestate, ita auctoritate omnibus, quos tutari debeat, superior. Ejusmodi jam potestas in Magistratu civili cernitur, cujus ea est vis, ut voluntatem cujusque individui sibi subjeçti ad ea perpetranda cogat, quæ cum omnium congruant voluntate: h. e. justum, quantumvis ab illo consilia sua aberraverint. Est ergo societas civilis hominum, quos suæ potestatis & ab aliorum arbitrio non pendentes natura fluxit, conjunctio perpetua in tempore

pore spatioque, sub imperio Legum, quæ facienda & omittenda præscribant, externarum, & potestate, voluntate privata quavis potentiori, publica ad easdem conservandas instituta. (d)

Jam quidem cuncta quæ ab hominibus proficiuntur imperfecta sunt & mendis laborant; neque ergo expectari potest, ut omnia, quæ legislatio contineat positiva, ejus sint indolis, qualem poscit ratio atque indies crescens relationum inter homines negotiorumque cognitio, non apud omnes eadem. Quod si ergo detexerit civis legem Civitatis, in qua degit, iniquam, scopoque societatis Civilis repugnantem, poteritne eidem obtemperantiam recusare suam, ipsoque hoc facto civium cuique licentiam permittere, nullis morem gerendi legibus, nisi quam quæ ipsis aptæ videantur & placeant? Minime vero. Patet namque, nullum hoc assumto esse posse statum justitiæ, quem unicum esse libertatis & securitatis columen, unicum malitiæ obicem, supra monuimus, ideoque a mortalibus sanctum habendum. Quæ cum ita sint, quanto magis adstrictus quisque erit, statutis, quorum sapientiam non potest non perspicere, fortuito licet obstant commodo suo, semet reverenter submittere!

Societas Civilis ne cogitari quidem potest sine Magistratu summo, qui determinata sit persona physica, uno vel pluribus constans individuis. Imperio ejus subjecta sint omnia, neque ab ullo poterit in illis resisti, quæ Civitatis mediate vel immediate tangant finem, necesse est. Summus a nemine pendere poterit Imperans, neque ad rationem actionum suarum reddendam ab ullo homine cogi: (e) quod nempe si fiat, summus

d) Ad notionem civitatis nempe sedes pertinere fixas territoriumque, luculenter ostendit THEOD SCHMALZ. v. ejus *Handb. der Rechts-Philosophie* p. 205-213; 266 sq. Halle 1807.

e) Non bene sibi constare videtur SCHMALZ, Jus de illis quæ ad finem Civitatis conducant decernendi, majestatem & potestatem summam

mus esse desinet Magistratus, subditoque subjectus. Quæ vero inter maximas, quæ cogitari unquam possint, contradictio; qui poterit unquam regulam subjectivam, quæ pro Lege universaliter valere possit, ministrare? Absolutum itaque civi cuivis, h. e. subdito, obsequii & erga imperantem, qua talem, fidelitatis incumbit officium: h. e. positive nunquam mandato Eius poterit resistere; negative tantum, sicubi officio repugnans aliquid jusserit; quod vero mansuetus & æquanimus efficiet virtutis amans, honestam mortem nefandæ præferens conjurationi.

Manifestum vero est, hoc obsequii officium non ad ipsam individuum imperantis referri, sed quatenus personam omnium gerat civium, neque a mera pendere jurisjurandi formula, sed a conjunctione cum omnibus, a quibus ultimam habet originem in Magistratum translata Majestas, civibus. — Quid itaque, si publicam exuens personam, ad stuprum v. c. secum committendum cogere quem nitatur Magistratus, probò sit faciendum, facilis est responsio. At sunt, ut ceteri mortales, erroribus, mutationibus animi & commotionibus obnoxii Magistratus. Quid itaque, si jura vel sanctissima subditi violaverit Imperans, quid si nihil querelæ, nil preces, nil gravamina, unica subdito licita ad jus coram Principe tutandum arma, efficiant, si ne admittantur quidem, neque excipiantur innocentiae documenta, civi faciendum restat? Nil nisi morigerandum, quod arduum negotium suffulciat cogitatio, fati vices supereminens: *pereat mundus, peream ipse, fiat justitia!* Grav-

B

vis-

Principi tribuens, subditoque passivi obsequii, a quo ne injustitia quidem a Principe patrata civem possit dispensare, injungens officium, & tamen Principis civem quemque tutandi officium juridicis annumerans? V. lib. cit. *Von der Ordn. des Staats* p. 271 - 283. Quis sanctum non agnoscat summi Magistratus, salutis cuius civium consulendi, officium, quod vero si negligat, unde vis, quæ ad perficiendum, quod jubeat Ethica, eundem cogat, petenda, nisi e principio, quod statum justitiæ omnino tollat? V. KANT *Metaph. Anfangsgründe der Rechtslehre* p. 203 - 207.

visissima quævis, quin mortem ipsam, si ita res ferant, tranquillius subire debet, quoniam resistendi nullus est locus, & quoniam dicitur ratio, *melius esse injuriam ferre, quam inferre*. Duriusculum forsitan videatur hoc assertum; at simul tamen, ubi accuratius examinetur, prodibit, speramus, verum. Vel quid poteritne quis, vel offensus, Principi, quam publico nomine postulare potest, obedientiam denegare, neque tamen pecuniæ summam retinere, quam nomine societatis poposcerit depositarius, vel injuriam inferens?

Neque ultra, quam humana præstare possit natura, esse absolutum erga Leges & Imperantem obsequium, etiam historia, vel unius exemplo præclari viri, probat, ostendens, valuisse SOCRATEM, capitis injustissima sententia damnatum, amici iteratis, ut fugeret, precibus, resistere, argumentis, quæ ministrare valeat amicitia, tenerrimus amor & cum veneratione misericordia, maximis intime commotum, in carceribus manere, poculumque venenatum exhauriendo in se latum immerito judicium, quod Leges ita juberent, tranquillum exsequi. (f)

Sed abominando theoriam hanc favere despotismo dicat forte quispiam; verum immerito, exillimamus. Haud nempe est Principum alia, ac ceterorum mortalium, natura. Non est tigrisum sævarum humanæ mentis indoles, neque sanguinolentam tyrannidem per se unquam amavit homo. Unde itaque furor, quo innotuerunt *Nerones*, & cetera generis humani de-

f) v. *Kritonem* PLATONIS & speciatim p. 115 sqq. (PLATONIS *Philosophi quæ exstant*. &c. Tom. J. Bipont. 1781), ubi Δικαιοῦν actionis, ad quam ipsum persuadere studet *Krito*, examinans, Civitatemque ipsam loquentem introducens sistitur *Socrates*. Solide non minus quam ingeniose rem tractat PLATO gravissimam, inscribiturque maximo suo merito περὶ πρακτικῶν, qui in ἡθικῶν totus quantus versatur dialogus, quem legenti cuique sponte semet offert divinum effatum: το ποτῆριον ὃ δέδωκε μοι ὁ πατήρ, ἔμῃ πῶν αὐτό. Imitatorem sibi non parem nactus est PLATO CICERONEM: v. *Or. 1. in Catilinam*. V. O. O. Tom. IV, p. 469, Bip. 1781.

dedecora? Illi originem dedit idem, atque privatorum sycophantarum & persecutorum, odia in alios spirantium, tyrannidi, ne e fastigio suo detrudatur, timor: cui vero non melius occurri poterit, quam documentis pleni, quale a civibus præstari Ratio jubet, erga Imperantem obsequii. Fac ergo, furere monstrum quale *Robespierre*, tremore actum vindictæ, quam ob injuste raptum dominium sibi adjudicat; hoc legitimum non tanget Principem. Fac hunc, formidine deceptum præsumtæ in civibus contumaciæ, limites potestati suæ positive præscriptos, fac naturales Majestatis transgredi cancellos; ast erroris sui, per reverentiam erga Leges, in Magistratum fidem, per patientiam in adversis, semper a civibus æquabiliter præstitam, convictus respiscet. Venerationis erga summam auctoritatem suam, a minis omnibus & violentia alienæ, ubique cernens velligia, qui poterit, quin metu civium omni deposito, mutuum, quod cum regentibus rectos jungit, agnoscat vinculum, & pariter ac ab Imperante tutamen expectant cives, ita in civium erga semet pietate præsidium ponat, Sibi a natura unice destinatum, atque id præ munimento, quod parare valeant mercenariorum legiones militum, infidæ non raro satellitum catervæ, & fallax emisariorum sæx, ultra quam dici potest firmum?

Recte monet KANT (g), inexplicabilem respectu practico civibus esse Magistratus, sub cujus imperio sint, summi originem: utrum in pacto subjectionis civilis, an in violentia principium primum habuerit, cujus membrum sit quis, civitas, inutiles esse inquisitiones, immo reipublicæ perniciosas, sicubi ad controversum reddendum jus, quo summum imperium teneat actu summus imperans, vergant. Simul vero patet, fundamentum juris, quod e natura hominis sensu & ratione præditi non immediate oriatur, nullum, nisi factum, esse posse. Quænam ergo facta officium erga Leges & summum Imperantem

g) loco cit.

tem civis genuerunt? Cana jam respondet antiquitas: Pacta & conventa (*h*), quorum vero in fastis frustra quæras vestigia, neque in paternis invenias meritis vel reatibus, sed quæ indies a nobis fiant civibus, & quovis vitæ halitu redintegrentur. Quid nempe efficit, ut in civitate sponte tua maneat, quæ "temet genuit, educavit, instituit, participes bonorum omnium, quoad ejus facere potuit, & te & alios cives omnes efficit?" Nil certe præter tutamen, quod tibi præstitit civitas & præstare pergit, & cujus, vel alias immemor, saltim offensa læsus expectatione semper caperis & desiderio, sed quod tamen sperare non potes, ni obsequium & opem in te positam civitati vicissim tu præstiteris. Pacta vero ex una parte rumpendi potestatem concedere, idem est ac eorundem tollere possibilitatem. Qui nempe existere poterit conventum, si quod in hoc temporis momento promiserit quis, idem in sequente pro arbitrio retractare illi liceret? (*i*) Ejusmodi ergo regula subjectiva, quæ sibi met ipsi repugnet, pro universali haberi non potest, neque a ratione approbari, quæ, ut in omnibus unitatem absolute poscit & harmoniam, ita in cive obsequii erga Leges & summum Imperantem fidelitatisque constantiam.

Ἐὰ τοίνυν, ὡς κείτω, καὶ πράττωμεν ταύτη, ἐπειδὴ ταύτη ὁ θεὸς ὑφηγεῖται.

h) v. PLATONIS *Kriton* l. c.

i) Non *ethice* modo, verum & non valet regula *juridice* subjectiva, conventum absque consensu ejus, qui tecum pactus fuerit, scindendi. Præstatio enim in pacto promissa & acceptata ad usum libertatis alterius ex idea pacti pertinet, etiamsi in sequenti temporis momento reapse fieri præstatio possit. Neque officium est ethicum, sed juridicum pacta servare, licet documentum virtutis sit, eidem vel tunc satisfacere, cum coactioni nullus sit locus (v. KANT lib. cit. *Einl.* p. 16; cfr. *Th.* I, *Hauptst.* I, §§ 4, 7, *Hauptst.* 2, *Abfchn.* 2, §§ 18-21); quam legislationem diversam, ut videtur, confundens SCHMALZ (*Natur-Recht* § 114 sq.), pactorum vim obligandi tribuit præstationi, qua vero facta exspirat pactum atque omnis exinde profecta obligatio, nisi perpetuam continet præstationem,